AD QVODLIBETARIAM.

QVAESTIO MEDICA, MATVTINIS EXAMINANDA CONCERTATIONIBVS IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS IX IANVARII, MAGISTRO RICHARDO MARCES DOCTORE MEDICO PRÆSIDE SAPIENTISS.

An Pleuritides, vt hyeme frequentiores, ita periculosiores?



SPECTABILIS huius mundi idea, homini appressa, imò totius compendium esse perhibetur. An ad illius nobilitatem & præstantiam id pertinere putandum est? an potius imbecillitatem & caducitatem eius summam arguit? In medio vniuersi temperatissimus collocatus. Quicquid summa simpliciáque corpora (quibus constat) virium, & quæcumque ab eis naturæ beneficio profecta obtinuerunt, eas omnes in eum transferunt, quem dum tueri & fouere videntur, tacitas cum eo inimicitias gerunt: Societatis vinculo cum illo immutabili necessitate tenetur; Necessitudinis vinculum est aër, quo ne momento quidem carere potest; hic qualitate & substantia, natiuo calori & spiritui tum conueniens pabulum, tum refrigerationem præstat: fumosaque eius superuacanea excipit, quibus beneficiis non minores animis quàm corporibus dotes impertit.



S sibi semper similis & beneficus foret, nisi cæli, locorum, flatuum, tempestatúmque commercio instabili permutatione versaretur, quorum naturam induens, & intro penitissimè subiens nos afficit inficitque, & temperiem immutat, vnde qualitatum immoderatione, substantiæ vitio, vel subita insolentiq; mutatione, infinitorum morborum parens esse dicitur, quos committit, intendit, tollit, iudicat. Nullo non tempore morbi sæuiunt, quidam verò magis in quibusdam ipsorum, & fiunt & exacerbantur. Hyeme morbi laterales, & pectoris inflammationes, grauedines, raucedines, tusses, dolores pectoris, laterum atque lumborum, capitis dolores, vertigines & apoplexiæ.



ORVM omnium affectuum communis causa, tempestas frigida, facit vt ortu consentiant: nullis partibus quàm thoracicis nocentior. Hæc situ suo concitatos aut è vasis expressos cuiuscumque generis humores supernè deorsum quasi per impluuium allabentes stillicidij lege excipiunt: qui, cuicúnque parti insederint, ideam futuri affectus conferunt: si putres, inflammationes pariunt, si acres, exulcerant, tusses mouent, inde phtisis, peripneumonia, pleuritis (huic per nares sanguinis effluuium superueniens bonum, illi malum est) quorum in alterutrum facilis est transitus, semper deterior.



LEVRITIS inflammatio est membranæ costis intextæ, quam symptomatis eam necessariò consequentibus vt signis deprehendere licet, dolore punctim lacessente, pulsu duro, spiratione difficili, continua febre, tussi siccâ, pro efficientium & apparentium naturâ & conditione securior aut periculosior euadit, siue ea sanguinea sit, siue biliosa, quæ nono aut vndecimo suam percurrit historiam ad sanitatem, siue pituitosa, siue melancholica, quæ rarius contingunt, & contumaciores ægrius soluuntur, preterea ex ægri temperie, conformatione, habitu, vitæ instituto, aeris statu & conditione, qui contagionis labe contaminatus, de vulgarium morborum censu pleuritidem facit, quæ populariter grassatur, inferior, superior, antica, postica.



VO acutior est hic morbus eò periculosior, ideò præceps occasio maioribus adhibitis auxiliis non est pretereunda, itaque pleuriticæ inflammationis exolutio tētabitur. Cōfestim humorū repentino motu irruentium, affluxus inhibeatur, atque ex eo appulsu quodāmodo consistentiū copia reuocetur. Procul hinc fotus resoluentes, procul & repellentia remedia, id sanguinis missione per venæ interioris cubiti sectionem lateris patientis suscipiatur, eóque copiosior sanguis detrahendus, quò magis dolor ad iugulum vergit, parcior, quò ad hypochondrium. Licet in eo doloris situ catharticum etiam propinatum conferat, vtilius sane, quamuis non eque tutum ac phlebotomia remedium. Inde pepasmus & anacatharsis duo certissima curationis indicia consequentur. Expurgatio fit per liberam & liberalem expuitionem, vnde pleuritis ipsa sponte naturæ non raro sanescit, quæ quò celeriùs veniunt, eò est egri celerior securitas, quò seriùs, tardior. Victus ratio apprimè vtilis, quæ tenuis, etiam tenuior esse debet, cū in paulo pleniore maius sit periculum quàm in tenui, vt cremore ptisanæ. Aeris quàm cæterorum maior habenda est cura, vt ad temperiem adducatur, alioqui vt generationi morbi contulit, ita curationi, si omninò aduersus, morbus ingrauescit.

Ergo pleuritides, vt hyeme frequentiores, ita periculosiores.



Asserebat Lutetiæ ÆGIDIVS LEBLANC, *Parisinus* *A. R. S. M. DC XIV.*

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI

M. *Iacobus Perreau.*	M. *Franciscus le Sage.*	M. *Simon Pietre.*
M. *Guillelmus Gerbault.*	M. *Georgius Cornuty.*	M. *Georgius Cornuty.*
M. *Franciscus l'Espicier.*	M. *Guillelmus du Val. P. R.*	M. *Claudius Boyuin.*